



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. An & quæ bona necessaria sint ad excusandum matrimonium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Jugum infidelium ad fidem convertitur, & suscipit Baptismum; alter vero tenuit idem facere, neque vult pacifice cohabitare; Ecclesia quæ non habet potestatem circa infideles, non potest istam cogere censuram & poenis ad cohabitandum pacifice, & conjugales efficaciter lucascurrere. Ex quo fit, ut nisi solveretur vinculum matrimonii, deberet conversus vel manere perpetuo in statu cælibatus, vel pati rixas perpetuas, & continua scandala, periculumque lubire fidei amittendæ. Quod incommodum gravissimum est, multoque sine dubio à suscipienda fide Christiana retardaret, nisi Christus illi providisset. Secus autem est de conjugio baptizato in hæresim lapso, nam ratione Baptismi & charactæris, qui est indelebilis, manet semper Ecclesiæ legibus subiectus, & ab illa compelli & puniri potest, etiam morte corporali, nisi ad frugem redeat.

102. Obijcies secundò: Si matrimonium infidelium in lege Evangelica solvi possit, per conversionem alterius conjugis ad fidem, sequitur quod etiam dissolvi potuisset ante legem Evangelicam, per conversionem alterius conjugis ad Judaismum, verum Deum colentem; rationes enim quibus utuntur Theologi ad probandum talem dissolutionem in lege Evangelica, nimirum quod multi revocarentur à professione Christianæ Religionis, si intelligerent, discedente conjugè infideli, esse ipsi servandum cælibatum. Quod infideles per Baptismum regenerantur ad novam vitam, subindeque non tenentur ad id quod ejus perfectioni obstat, quale est obligatio ad actus matrimonii, ut supra cum D. Thoma dicebamus. Quod matrimonii vinculum est relatio æquiparantiæ inter socios; congruum autem non est, quod infideles sint socii & pares cum fidelibus: hæc inquam, rationes æquè procedunt de matrimonio infidelium ante legem Evangelicam, ac postea.

103. Respondeo negando sequelam, nunc enim dissolvitur matrimonium infidelium, per conversionem alterius conjugis ad fidem, ex privilegio & dispensatione Christi, quam colligit sufficienter Ecclesia ex verbis Apostoli supra relatæ, pro statu legis gratiæ, non vero pro statu legis scriptæ. Rationes autem quæ afferuntur in objectione, non sunt demonstrativæ, sed tantum quædam congruentiæ, quæ suppositâ existentia rei de qua est questio, illam declarant.

104. Obijcies teritiò contra secundam conclusionem illud Ambrosii in cap. 7. Epistolæ ad Corinthios. Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circumquiritur. Quibus verbis docere videtur matrimonium fidelis conversi cum infideli nolente converti, dissolvi statim atque ille convertitur ad fidem, & suscipit sacramentum Baptismi.

Sed præterquam dubium & incertum est, an commentaria illa sint Ambrosii, facile respondetur, sensum horum verborum esse, contumelia Creatoris solvit jus matrimonii, casualiter vel occasionaliter, quia dat jus & potestatem converteri illud dissolvendi formaliter, per aliud matrimonium quod valide cum alio contrahere potest.

DISPUTATIO VI.

De bonis Matrimonii.

Ad questionem 49. supplementi.

Explicata præcipua matrimonii proprietate, quæ est ejus indissolubilitas, consequens est, ut de tripliciejus bono differamus, & quæ docet S. Thomas quæst. 49. supplementi, breviter explicemus.

ARTICULUS UNICUS.

An & quæ bona necessaria sint ad exco-sandum Matrimonium?

Dico primò, aliqua oportuit esse bona, ut matrimonium excoletetur, & fieret prudenter eligibile, ita D. Thomas hic art. 1.

Probatur ratione quam ibidem expendit. Nullus sapiens debet aliquam jacturam festinare, nisi cum recompensatione æqualis vel majoris boni. Sed per matrimonium plura incurrun-tur damna & incommoda: Ergo ut redderetur honestū & prudenter eligibile, aliqua bona requi-runtur, quibus damna illa & incommoda compen-sentur & reparentur. Major constat, Minor probatur, damna illa & incommoda recedendo. In primis, ergo in actu matrimonii jactura quædam rationis incurritur, quippe quæ per nimiam volup-tatem absorbetur, ut ait Philosophus libro 7. Ethic. cap. 1. circa finem. Unde in illo actu, homo, ut inquit S. Thomas, fit totus caro, & as-similatur equis & mulis, quibus non est intelle-ctus. Hinc Hieronymus Epistolæ 11. quæ est de monogamia, super hæc verba, quæ de seipso dicit Ezechiel, Mortua est uxor mea, & apertum est os meum, sic ait: Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, possunt in opere conjugali libere prophetare. Quod rati-onis urget libro 2. contra Jovinianum cap. 18. ex eo quod Prophetæ nisi tangente corda Spiritus Sancti non prophetent, & in actu conjugali Prophetarum corda Spiritus Sancti non tan-gat. Et cap. 28 hæc scribit: Fertur Aureolus Theo-phrastus liber in quo quærit, an vir sapiens ducat uxorem? & cum definiisset si pulchra esset, si bene morata, si honesta parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim infert: Hæc autem in nuptiis raro universa concordant: non est ergo uxor ducenda sapienti. Et causam subdit, dicens: Im-pediri studia Philosophiæ per conjugium; ne possit quem-quam libris & uxori pariter inservire.

Adde quod per usum matrimonii non solum ratio absorbetur, sed etiam corpus viri multum debilitatur, omnesque illius sensus obrunduntur, ut quiddam belle his versibus expressit:

Fæmina corpus, opes, animum, vim, lumina,
sensus
Destruit, annihilet, necat, trahit, orbat, ac
cerbat.

Hoc sensu Cajetanus in cap. 2. Genesim expo-nit id quod dicitur de formatione Evæ ex costa Adami dormientis Genes. 2. versu 21. Vult enim id metaphoricè intelligendum esse, & non alio pertinere, nisi ad significandam diminutionem roboris ex corpore viri, propter usum conjugii.

Ecce 2

Mu

Mulier verò, licet ex actu conjugii tantam non patiatur vitium diminutionem, quam vir, aded tamen graves & acerbos in partu patitur dolores & cruciatus, ut Propheta dolores inferni similes esse doloribus parturientis dixerit Psalm. 47. *ibi dolores ut parturientis.*

3 Secundum matrimonii incommodum est nimia sollicitudo placendi conjugii, suscipiendi & educandi liberos, illisque providendi in futurum. Propter quam Apostolus 1. Corinth. 7. dicit conjuges habere eor divinum, id est non intergrè & perfectè Deo addictum, dum cogitant quomodo alter alteri placeat, & solliciti sunt quæ sunt mundi. Et ibidem eandem sollicitudinem vocat *tribulationem carnis*, quæ à conjugio secundum statum præsentem naturæ lapsæ, est moraliter inseparabilis.

4 Tertium conjugii incommodum est quod perpetuam quandam subjectionem & servitutem secum affert, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Erruitus: *Aligatus uxori?* Noli querere solutionem. Quam alligationem, mutramque subjectionem, servitutis nomine ibidem exprimit, dicens non eam tam strictè obligare, ut teneatur conjux fidelis manere cum altero conjugio infideli, nolente cohabitare pacificè: Non enim servituti subiectus est frater aut soror in baptismo. Hæc & alia matrimonii incommoda eleganter describit Sixtus III. vel Auhor libri de castitate, qui habetur tomo 5. Bibliothecæ Patrum, pagina 630. editionis Parisiensis.

5 Dico secundo, tria sunt præcipua matrimonii bona, ratione quorum honestum redditur, & prudentes eligibile, nempe bonum prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti. Ita S. Thomas hic art. 2. post D. Augustinum lib. 9. super Genes. ad lit. cap. 7. ubi hæc scribit: *Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, & sacramentum.* In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero vel altera concubatur. In prole ut amanter suscipiatur, verique nutriatur, religiose educetur. In sacramento autem, ut conjugium non separatur, & dimissus aut dimissi, nec causa prolis alteri conjugatur.

6 His tribus bonis compensantur tria mala & damna supra recensita, quæ conjugum secum affert. Nam detrimentum jacturæ rationis & diminutionis, vitium corporis in usu conjugii compensatur bono prolis, id est procreatione liberorum, quibus genus humanum conservetur, & Deus perpetuo colatur, in quem præcipue finem optandi sunt, ut ait Plato lib. 9. de legibus in hæc verba: *Oportet parentes gignere & educare liberos, qui itam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes juxta ipsius legem.* Hinc Justinianus Imperator Novella 22. in principio ait, quod *matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum.* Et Novella 39. in fine proemii, *Nuptus (inquit) nihil est hominibus utilius, tanquam solis facere homines valentibus.* Item Justinus minor Novella 2. in principio hæc scribit: *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, quippe ex quo liberi, omni que deinceps sobolis series exultat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, inde denique optima Republica congmentatissat.* Demam Ambrosius, 1. super Lucam: *Divinum, ait, munus est facundias parientis,*

A *Agant itaque parentes gratias, quia generaverunt; sed quia generati sunt; matres, quia conjugii premis honorantur. Vernet in Dei laudem terra, quia colitur, mundus, quia cognoscitur; Ecclesia, quia deus noster plebis augeatur.*

Aliud detrimentum sollicitudinis placendi conjugii, & providendi liberis, compensatur bono fidei, id est obligatione fidelitatis ad reddendum debitum conjugale petendum legitimum, negandumque corporis sui usum cuiusque alteri.

Denique detrimentum subjectionis & servitutis compensatur bono sacramenti, id est vinculi indissolubilis, quo conjuges representant conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se mutuo diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam; lumitur enim hic sacramentum pro vinculo matrimonii, quod res & sacramentum vocatur. Quamquam etiam multo magis compensatur hæc servitus bono sacramenti propter iunpri, pro signo efficacis gratiæ; quatenus sanctificat conjuges, & datque illis auxilia supernaturalia ad se mutuo diligendum, præstantque laxaret & fideliter carera munia matrimonii.

Adverte autem, quod licet sacramentum matrimonii, in ratione signi practici, teneat minimum locum inter omnia sacramenta, eo quod nimirum minus participet de ratione spirituali vitæ ad quam ordinantur sacramenta, atque adeo minimum gradum gratiæ inter illa contineat: in ratione tamen signi speculativi, & ut sacramentum rerum symbolum, cetera sacramenta longe superat, triplici significatione, quæ præcipua Religionis nostræ mysteria representat, significat enim unionem Verbi cum humanitate, conjunctionem Christi cum Ecclesia & castissimum fœdus Dei cum anima, quæ hic sibi per fœdus desponsat, ut dicitur Osee 2. & per visionem beatam in æternum in conspectu copulat. Hoc autem ita esse voluit Christus, tum ut magnitudine sacramenti & mysterii, damna & nocumenta quæ secum affert matrimonium compensaret: Tum etiam, quia cum matrimonium maxime deiciat mentes hominum, præsertim rationem copulæ carnalis, quæ, ut supra dicebamus, rationem absorbet, & hominem brutis & pecudibus similem reddit, elevare se possent homines conjugati ad contemplanda præcipua illa fidei nostræ mysteria & sacramenta, quæ per matrimonium representantur, & per talem contemplationem Angelis assimilari, ut fassus in hujus Testamento præstatio expendimus.

Ex dictis intelliges, gravissimum esse adolentem & imem, cum tria prædicta matrimonii bona penitus destruat, illisque directè adversetur; violat enim fidem conjugii, tollit certitudinem prolis, & sacramenti mysticam significationem, cum dividat carnem in plures, & membra Christi faciat membra meretricis. Unde non solum contrariatur, & etiam iustitiam, & religionem contrariatur, & triplicem horribilem deformatem, velut triplex Cerberi caput, monstrum illud in se continet, tamque immane est, ut Chrysostomus homil. 62. in Joan. illud comparat cum idololatris, & nescio quid majoris gravitatis in violatione conjugii agnoscat, ex eo quod Paulus vj. in Iudæ uxori cohabitare permittit; adeo ut verò dimitendi copiam faciat, imò utiple Chrysostomus existimat, etiam sua deat. Item

Nicolaus I. Epistolâ quad. agesima nona circa finem. & ad consulta Bulgarorum capite quinquagesimo primo homicidio comparans, gravius longe sentit esse adulterium. Verba ejus sunt: Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidij quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septimâ generatione, Cataclismo vindictatum fuerit: adulterij autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septimâ & septuagesimâ generatione secundum Evangelium luxerit in mundum.

Intelligens etiam, non solum falsam, sed & pervertitam esse quorundam Recentiorum sententiam, quæ allerit, copulam cum conjugata non esse adulterium, si maritus consentiat: Adulterium enim, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum thorum, unde sola thori alienitas, ut ita loquar, attendenda est, quando de adulterio questio proponitur: Sed maritus suo consensu efficere non potest, ut suus thorus non sit alienus comparatione ejusvis terti: Ergo, efficere nequit suo consensu, ut accessus ejusvis terti ad suam conjugem, non sit adulterium.

Ad do, quod licet talis concubitus non sit injurius marito volenti & consentienti, est tamen injurius proli, quæ incerta redditur ex parte patris, & sacramento, cujus sanctitas violatur, & significatio facta, per divisionem carnis conjugalis in partes, destruitur. Unde non minori severitate in jure Canonico puniuntur uxores quæ adulterant consentiente marito, quam quæ, ipso ignorante & non consentiente, tale crimen committunt, ut constat ex Concilio Illoeritano capite septuagesimo ubi sic dicitur: si consensu mariti & consentiente, fuerit uxor moechata, placuit nec in sine eis dandam esse communionem: si vero eam reliquerit, & separat, fuerint, & dignè poeniterint, post decem annos accipiant communionem.

His refellitur impurissimus & infamissimus Gnosticonum error, qui teste Epiphano heresi vigesima sexta lauta & oppipara convivia amicis exhibere solebant; quibus peractis, non solum consentientibus, sed etiam præcipientibus maritis, uxores cum extraneis misceri solebant: Larga (inquit) & oppipara edulia, carnis esum, & vini potum apponunt, etiam si pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compositaverint, & venas satietate impleverint, accessum se convertunt: & vir quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: surge & fac dilectionem cum fratre.

Id ipsum licere gravissimi viri Cato & Socrates olim existimant, & suo exemplo comprobant, Catonem enim uxorem suam Mariam, Hortensii domum filius implevit, tradidisse Augustinus refert libro de bono conjugali capite decimo octavo. Et libro de fide & operibus capite septimo, Socratem, uxorem suam, tanquam armenti matricem, amico suo, ad propagandam sobolem, tradidisse scribit. Unde utriusque sapientiam lepidissime deridet Tertullianus in Apologetico capite trigesimo nono his verbis: O sapientia Attica, & Romana gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & Censor.

Demum non est Le & totum inutile, nec forsitan injucundum, si hic referam historiam quæ sub Constantii temporibus accidit, & describam quæ sanctus Augustinus libro primo de sermone Domini in monte capite decimo sexto scribit: Sed tamen (inquit) juram quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed viri similiter &

vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, neque a viro disjuncta, concumbere. Sed non ita est existimandum ne hoc etiam feminina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnulla causa possint existere, ubi & uxor mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur; sicut Antiochia sacrum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Constantii temporibus. Nam Acindinus tunc Praefectus qui etiam Consul fuit, cum quendam libram auri debitorem sibi exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in ista potestatis perniciosa est, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus est jurans & vehementer affirmans, quod si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodi, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cepit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecunie, quæ subvenire posset viro. Cujus mulieris pulchritudine, cum quidam dives esset accensus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro una nocte, si se misceri vellet, se auri libram daturum. Tunc illa, quæ se sciret, non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, per tulit ad eum dicens, paratam esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cetera illa castitas deberetur, tanquam de ejus, pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratus, & ut iam fieret, imperavit, nullo modo judicans adulterium esse concubitum, quod & libido nulla & magna mariti charitas & se jubente & volente, flagitaret. Venit mulier ad illam illius divitem, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accipit aurum, sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & suppositum simile ligamentum cum terra: quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, profiliit in publicum eadem mariti charitate clamatur quod fecerat, quia facere coacta est. Interpellat Praefectum, faceret omnia, quam fraudem passa esset, ostendit. Tum vero Praefectus primo se reum, quod suum manum ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in altum sententiam diceret, de Acindini boni auri libram sibi sciret ferendam: illam vero mulierem dominam in eam tero ram, unde præcuro terram accepisset, inducit. Nihil hic in alteram partem discepto: licet unicuique aestimare quod velit, non enim de divinis auctoritatibus de prompta historia est, sed tamen narratio hoc facta, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro vivente commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Hæc Augustinus.

Colligitur etiam ex dictis, tria prædicta matrimonia bona, non solum exculat actum conjugalem, licitum eum reddendo, & bonum, verum etiam sanctum: est enim bonus, ratione proles, & fidei: sanctus autem, ratione Sacramenti, quare nus significat conjunctionem Christicum Ecclesiam, ita sanctus Thomas hic articulo quarto ubi sic ait: Dicitur aliquis humanus actus bonus duplex: uno modo, bonitate virtutis, & sic habet actus quod sit bonus ex his quæ ipsam in medio ponunt, & hoc faciunt in actu matrimonii, fides, & proles. Alio modo bonitate Sacramenti, secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur, & hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam.

Eccc;

De.

Demum cum eodem sancto Doctore ibidem articulo quarto colligitur, peccare conjuges in actu conjugali, saltem venialiter, nisi conveniant causâ procreandæ proles, aut debiti reddendi. Idem docet Augustinus libro de bono conjugali capite sexto his verbis: *Conjugali contubitus generandi gratiâ, non habet culpam: concupiscentiâ verò faciendâ, sed tamen cum coniuge, propter fidem thori, venialem habet culpam.* Et capite septimo. *Reddere debitum conjugale (inquit) nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpa venialis.* Et libro secundo contra Julian, capite decimo dicit, coniuges contrahere unde quotidie dicant, *dimitte nobis debita nostra, quando modum generationi necessarium causa solius voluptatis excedunt.* Similia habet Gregorius Magnus duodecimo Moralium capite decimo septimo, aliâ vigesimo, ubi hæc scribit: *Tunc solum coniuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipiendâ prole miscantur.*

Observandum etiam est cum sancto Thoma hic articulo sexto, peccare mortaliter eum qui cognoscendo uxorem, non intendit aliquod bonum matrimonii, ita scilicet ut aliquis in conjugio non attendat, quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux. Eoque sensu intelligendum est, quod dicitur Tobie sexto. *Hinc amque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suâ libidine ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem demonum super eos.* De his etiam loquitur Hieronymus, cum ait libro primo adversus Jovinianum: *Nihil interest quàm ex honesta causa quis in sancto. Unde & Christus in sententiâ: Adulter est in suâ uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in suâ nimis Sapiens vir iudicis debet amare coniugem, non affectu. Regit impetus voluptatis, nec præceptum feretur in coitum. Nihil est sanctius quàm uxorem amare quasi adulteram.*

DISPUTATIO VII.

De impedimentis matrimonii in communi.

Ad quest. 50. supplementi.

Explicatâ essentia matrimonii, ejus causis, & proprietatibus, tribusque bonis quæ secum affert, quibus tria mala seu nocumenta quæ infert, reparantur; superest ut de impedimentis matrimonii differamus, sed antequam de illis in particulari agamus, & quæ sint impedimenta prohibentia ac dirimentia exponamus, prius declarandum est, apud quem resideat potestas talia impedimenta constituendi. Unde sit

ARTICULUS UNICUS.

Penes quem sit potestas apponendi impedimenta matrimonii?

Hæretici hujus temporis negant hanc potestatem esse penes Ecclesiam: plures verò ex

Catholicis existimant, Principes Christianos non habere potestatem statuendi sui subditis delibus impedimenta matrimonii dirimentia. Ita Canonista, D. Bonaventura, Richardus Paludanus, Pontius, Sylvius & alii. Oppositum docent Dominicus, & Petrus Soto, Bellarminus, Henricus, Coninck, Sanchez, & alii.

S. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primò, esse in Ecclesia potestatem ad constituenda impedimenta matrimonii dirimentia. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 4. ubi fecit anathemate Novatores dicentes Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in illis constituendis transgisse. Et in decreto de reform. matrim. cap. 1. irrita de facto eorum contractus, qui post debitam illius decreti promulgationem clandestinè contraxerint. Item ante Tridentinum in Concilio Provinciali Senonensi sub Clemente VII. in decretis fidei cap. 17. inter errores damnatos reterunt istos, *Ecclesia non potuit illegitimare aliquos per se, si quod non possint contrahere matrimonium.* Contrariam ex consuetudine Ecclesie universalis contra quam disputare in solentissimi est infamia, ait Augustinus Episcopus. 118. illa enim matrimonio multoties impedimenta constituit, ut ex his quæ infra de unoquoque impedimento dicemus manifestum erit.

Ratio etiam suffragatur: Cum enim pax & tranquillitas Reipublice magna ex parte ex bene initis connubiis pendeat, & contra ex male copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri soleat, in omni Republica bene ordinata, necessaria est potestas ad providendum abutibus quæ in matrimonio possunt contingere, & statuendi matrimonio impedimenta, quibus statibus, validè contrahi nequeat. Ergo talis potestas non debet denegari Ecclesie, quæ est Respublica bene ordinata, ne deteriori conditioni sit, quàm reliquæ seculares quæ hanc potestatem habent, ut ex variis earum legibus de ritu nuptiarum constat. Idque confirmat prædicti ipsorum hæreticorum, qui quamvis aliqui contra Ecclesie prohibitiones & constitutiones matrimoniales declament; aliqua tamen constituunt impedimenta matrimonii, quæ neque jure naturali neque divino posita erant, ut in Genens Ecclesie statuta videre est.

Hæc verò potestas Ecclesie non se extendit supra infideles sibi non subiectos, ut constat ex cap. *Gaudemus* de divortio, ubi Innocentius III. docet, paganos legitimè contrahere matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis, quippe qui constitutionibus Canonum non assentiantur, ut ait Pontifex. Idque confirmat ex illo Apostoli 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicant?* Sunt tamen aliqui qui etsi existiment impedimenta matrimonii hæcenus ab Ecclesia statuta, ad infideles non se extendere, quando minime infidelibus Principibus subiecti, censent nihilominus ad eos extendi, statim ac fiunt Christianis Principibus subditi, eò quod (inquit) quodammodo subijciuntur Ecclesie, hoc ipso quod fiunt subditi Christianis Principibus. Ita Ledesma apud Sanchez lib. 7. disp. 7. nu. 1. Opus.